



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio II. An Lex moralis Decalogi sit justa & rationabilis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

bet, cùm ad Rom. 5. scribit: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Nam ita se ipse explicat ad Rom. 7. v. II. *Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit;* addit etiam: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.*

Q U A E S T I O II.

An Lex moralis Decalogo contenta sit justa & rationabilis?

Omnia præcepta moralia Legis veteris in Decalogo contineri, sententia est S. AUGUSTINI. 127.
 Cùm tam multa (inquit q. 140. in Exod.) locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moyfi lapideæ, quæ dicantur tabulæ Testimonii futuræ in Arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quarantur, & bene intelligantur. Quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Et S. THOMAS I. 2. q. 100. a. 3. ait: *Præcepta Decalogi ab aliis præceptis legis differunt in hoc, quòd præcepta Decalogi per se ipsum Deus dicitur populo proposuisse: alia verò præcepta proposuit populo per Moysen.* Illa ergo præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per se ipsum à Deo (nempe a. 1. dixerat: *Necesse est, quòd omnia præcepta moralia pertineant ad legem*

gem naturæ) Hujusmodi verò sunt illa, quæ statim ex principiis communibus primis cognosci possunt modicâ consideratione, & iterum illa, quæ statim ex Fide divinitus infusa innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa scilicet, quæ sunt prima & communia, quorum non oportet aliquam editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota, sicut quòd homo nulli debet malefacere, & alia hujusmodi. Et iterum illa, quæ per diligentem inquisitionem Sapientum inveniuntur rationi consentire: hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante disciplina Sapientum. Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, sed diversimodè: nam illa, quæ sunt prima & communia, continentur in eis sicut principia in conclusionibus proximis. Illa verò, quæ per Sapientes cognoscuntur, continentur in eis sicut conclusiones in principiis.

128. Lex Moralis Decalogo contenta est legi naturæ
 Lex perfecta consentiens, ac continet omnia ad Reli-
 gionem moresque ritè instituendos necessaria, ideo-
 que justa & rationabilis est. Nam summa totius Le-
 gis moralis Decalogo contentæ duobus absolvitur,
 & sancta. amore videlicet Dei & proximi: hic autem uterque
 quàm Juri nat. conformis fit, atque ab eodem præ-
 ceptus, liquet ex dictis. Omnis Religio tribus
 continetur, rectis de Deo sententiis, piis in Deum
 adfectibus, & cultu externo. Rectas autem de
 Deo sententias inculcat MOYSES, ubi infinitam Dei
 Majestatem, cæteraque attributa divinæ cujusdam
 eloquentiæ vi commendat, dicens: *Dei perfecta
 sunt*

sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ullâ iniquitate, justus & rectus. Item: Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: Ego occidam, & vivere faciam: percutiam, & sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere. 2^o. Quæ erga Deum piæ adfectiones commendari possunt, continentur illo notissimo cuivis præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quoties in Legge commendatur timor Dei, fiducia, devotio, observantia mandatorum Dei? quàm severè prohibita quæcumque divino cultui contraria? omnia externi cultus officia quàm sapienter præcepta? 2^o. Nec minùs sapienter ordinata fuit Respublica Hebræorum, & civis ad civem optime dispositus: nam omnis inter homines communitas duabus maximè virtutibus continetur, videlicet *justitiâ*, quæ vetat læsionem Juris alieni perfecti; & *charitate*, ut prodesse velimus cæteris. Utramque autem virtutem hanc complectitur brevissima hæc sententia: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Lev. 19.* Cui ibidem junguntur sequentia: *Ego Dominus Deus vester. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: justè judica proximo tuo. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proxi-*

mi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. 3^o. Quamvis nulla expresse addantur præcepta ad se ipsum pertinentia; omnis tamen cultura animi & corporis per ordinatum suum amorem præceptum, hoc ipso intelligitur præcepta. Neque homo ritè ad Deum & proximum se habere potest, qui sui suæque perfectionis curam non habet maximam. Et quæ umquam aliorum Legislatorum, seu Philosophorum Institutiones ad tantam perfectionem ascenderunt? fanè in confesso est, apud Gentes alias omnes obtinuisse vanissimam superstitionem, qua si non omnia quidem vitæ moralis officia corrumpentur; omnis saltem vera Religio pessumdabatur, sine qua Religione moralis disciplina in se satis præsidii non habet ad bonam beatamque vitam instituendam, quæ officiis Deo debitæ maximè continetur.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Lex Mosaica permittebat, immo commendabat sacrificia humana Lev. 27. Quo quid crudelius, Deoque indignum magis esse possit? Sic autem habet versus 28. Omne quod Domino consecratur (h. e. omnia, quæ voventur Deo eo genere voti, quod Cherem hic Hebræus nuncupat, & græcè dicitur ἀνάθημα, anathema) sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Nempe singularis hæc voti istius natura erat, ut quod per il-
lud

Iud vovebatur, absolutè, perfectè, & irrevocabi-
liter Deo consecraretur. Tum versus 29. istud no-
tante exprimit: *Et omnis consecratio, quæ offertur*
ex homine (gr. ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *ex hominibus*)
non redimetur, sed morte morietur. Resp. Du-
plex loc. cit. anathematis genus distingui debet, al-
terum v. 28. significat donarium, quod Deo in
sacros usus devovebatur, quodque pecuniâ redimi
non debebat. Huic anathemati subjiciebantur tum
res, tum personæ, quin tamen istæ supplicio mor-
tis adficerentur. Hac ratione consecratus est Sa-
muel à matre, antequam nasceretur, servitio Ta-
bernaculi. Alterum anathematis genus, de quo v.
29. significat id, quod expressè Jure belli devove-
batur internecioni, cujus exemplum habetur Num.
21. v. 2. *At Israel voto se Domino obligans ait:*
si tradideris populum istum in manu mea, dele-
bo urbes ejus hebr. *Succidam, & anathematizabo*
eos. Tum v. 3. *Exaudivitque Dominus preces*
Israel, & tradidit Chananeum, quem ille inter-
fecit subversis urbibus ejus: & vocavit nomen loci
illius Horma, id est, anathema. Item Jos. 6 v. 17.
Sitque civitas hæc (Jericho) anathema, & omnia,
quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix
vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt,
abscondit enim nuncios, quos direximus. In utro-
que autem hoc anathematis genere nihil turpitudi-
nis est, nihil impietatis. Adde, quod non omni-
no negligenda videatur lectio Vulgatæ, quæ habet:
ab homine, non autem ex homine. Item hæc verba
morte moriatur, sic accipienda sunt, si sc. occide-
re liceat, quod Domino per Cherem consecratum
est, ut si animal mundum sit, aut si hostes sint

morti à Deo addicti. Certè filios à parentibus Deo in holocaustum offerri vetat lex *Deut.* 12. v. 31. Ubi Israëlitæ monentur sub gravissimarum poenarum comminatione, ne Chananæorum infandos ritus æmulentur. *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas averfatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Et *Ezech.* c. 16. declarat Deus se Judæos judicaturum esse, quòd fuderint sanguinem innocentem filiorum suorum, quos sacrificaverant sculptilibus Canaan. Generatim sacrificia humana inter res abominabiles habitasse, colligitur ex *Isa.* c. 66. v. 3. *Hæc dicit Dominus . . . ad quem respiciam nisi ad pauper- culum & contritum spiritu, & trementem sermo- nes meos? Qui immolat bovem quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Quo loco Deus adseve- rat se detestari sacrificia Judæorum (nam mox se- quitur: *Hæc omnia elegerunt in viis, & in abo- minationibus suis anima eorum delectata est*) ea- que comparat homicidio, mactationi canis, obla- tionem sanguinis suilli, & idololatriæ. Sed & con- stantissima fuit hæc Judæorum omnium, tam vete- rum, quàm recentiorum, sententia, vovere ne- minem posse, multò minùs devovere, nisi quod suum est. Ex quo principio rectissimè concludunt Doctores Judæi in *Missna*, liberos & servos nullo modo devoveri posse. *Siquis, inquit, ana- themate devoveret sive filium suum, sive filiam, sive servum, sive ancillam ex Hebræis, sive agrum*
ad

ad tempus conductum, anathemata non sunt, quia nemo potest anathemate devovere id, quod planè suum non est. Et Hebræi quidem servi à Dominis suis devoveri non poterant, quia ex lege post certum tempus libertati reddi debebant; nec Cananæi, quia neque in istos ex lege *Moyfis* Domini habebant jus vitæ & necis. Hi tamen si quando consecrabantur Domino, juxta Rabbinos per consecrationem hujusmodi nihil evenit aliud, nisi ut totum Jus, quod antea dominis in eos compete-
 bat, jam Sacerdotibus in usus sacros cederet, ut adeo uti possent assiduis eorum operis, quæ redimi non possent. Denique si, quod ajunt *Theistæ*, humana sacrificia à lege permittà fuerunt, cur igitur à Judæis tales victimæ nunquam oblatae sunt? cur solis Gentium idolis illas immolarunt, ubi à Deo vero defecerant? *Samuel*, quem Anna mater Deo devoverat, cur interfectus non est?

Inst. Unde tam promptus *Abrahæ* animus ad immolandum filium suum *Isaac*, nisi mos iste apud Hebræos invaluisset? *Jephthæ* annon immolavit filiam suam, ut voto se liberaret? *Resp.* Ad 1^{um} *Abraham* non proprio motu ad hoc sacrificium sese accinxit, vel ut excellenti religionis officio perfungeretur; neque ex terrore aliquo ad placandum Numen, uti facere solebant idololatræ in calamitatibus, sed ex solo jussu Dei habentis potestatem in vitam & necem cujusvis hominis. Immo cum *Abraham* voci Domini obedivisset, Deus aliam suppeditando victimam fatis declaravit, sibi minime gratas esse humanas victimas, illamque præceptionem unice ad faciendum obedientiæ periculum, vel probationem fuisse. Ad 2^{dum}. Quotquot um-

quam opinati sunt, Jephtham re ipsa filiam suam in holocaustum obtulisse, constanter etiam aestimarunt, eundem ingrati Deo victimam dedisse. *Si consultuisset*, inquit, *Chaldaeus Paraphrastes Jud. II. v. 39. Phinees Sacerdotem, redemisset eam pecuniis.* Idemque tradit, additam fuisse sanctionem illam seu statutum, nequis immolaret filium suum, aut filiam, quemadmodum fecerat Jephthae. Vero similis tamen est, virginem Deo quidem consecratam fuisse; non verò immolatam. Neque id vovisse Jephthae videtur; nam sacer textus *Jud. II. v. 30.* sic habet: *Votum vovit (Jephthae) Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihi que occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon; eum holocaustum offeram Domino;* qui textus ex hæbræo sic reddi potest: *sic ut egrediens quod egressum fuerit de foribus domus meae in occursum meum, cum reversus fuero cum pace de filiis Ammon, erit Domino, & (vel) offeram illud in holocaustum,* ita ut copulativum vim disjunctivi habeat, & sensus sit: *Et erit Domino, seu consecrabo Domino, si res ejusmodi fuerit, ut in sacros usus aut Domino sancta remaneat; quin & si fuerit ejusmodi, ut in holocaustum ritè offerri queat, etiam in holocaustum offeram.* Et sanè poterat Jephthae occurrere camelus, asinus, vel canis, aliudve immundum animal, quod immolare lege vetitum erat. Hanc interpretationem sequuntur *Josephus, David Kimchi, Levi Ben Gersom,* aliique. Qui proinde verba illa: *& fecit sicut voverat,* intelligunt non de immolatione, sed de consecratione filiae. Id quod ex eo confirmatur,

matur,

matur, quia virgo duorum mensium spatium exoravit à Patre, non ut mortem, sed ut virginitatem suam lugeret. *Dimitte me; ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. v. 37. Et v. 39 Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut voverat, quæ ignorabat virum, sc. per reliquum vitæ tempus. Immo dum Vulgata legit v. 39. & 40. Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo servata est: ut post anni circulum convenient in unum filia Israel, & plangent filiam Jephthæ Galaadita diebus quatuor; hebræus habet: convenient in unum filia Israel ad alloquendam filiam Jephthæ; igitur vivebat filia Jephthæ, ad quam alloquendam singulis annis conveniebant. Unde David Kimchi ait: Fecit ei (pater) domum, & introduxit in eam, atque ibi remansit seclusa à filiis hominum, & à rebus secularibus. Atque statutum seu mos invaluit, ut quot annis eam inviserent Israelitides.*

Si ais: Cur igitur Jephthæ scidit vestimenta sua, tantoque dolore correptus est, ut primum filia ei visa est? Resp. Quia filia erat unica ei proles, quam sciebat à viri consortio in perpetuum excludendam, sicque stirpem suam penitus extinctum iri. Quæ in contrarium adserit Doctiss. P. Wouters; ex dictis facilè diluuntur. Cæterà filia Jephthæ ex eo laudem maximam merebatur, quòd voto Patris se ultro subjecerit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, concessâ tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. Unde apparet filia libera acceptatio, obedientia, amor patriæ, fortitudo &c.

Obj.

*Obj. II. Mich. 6. legitur: Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelsio? numquid offeram ei holocaustata, & vitulos anniculos? . . . numquid dabo Primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? ubi certè humana sacrificia inter cætera licita numerantur. Resp. Propheta non hic recenset varia sacrificiorum genera, quæ Judæis lege permiffa erant; sed ea quæ Israëlitæ ethniciis superstitionibus corrupti & depravati maximè salutaria & efficaciora existimare poterant ad conciliandum Deum; & inter alia numerat sacrificia humana, quæ sæpius Israëlitæ idolis obtulerunt in valle Ennon. Dein negat hæc omnia, quæ apud eos in usu fuerant, & qui cæteris efficaciora fuerant opinati, ullam habere vim ad placandum Deum; atque ita profequitur: *Indicabo tibi, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & ambulare sollicitum cum Deo tuo.**

Q U A E S T I O III.

Utrum lex Cereemonialis Israëlitis à Deo convenienter data fuerit?

129. **L**ex cere-
moni-
alis. **I**nter cæteras Legis Mosaicæ partes ea maximè, quæ de ritibus & ceremoniis constituta est, impiorum hominum calumnias nullâ non ætate sustinuit: his nempe instituta hujusmodi circa res minimas visa semper sunt aliena à divina Majestate. Ita *Celsus* olim, & nunc *Theistæ* omnes temere criminantes in tanta rituum multitudine nullam
vel